



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Panis ex lapidibus

Pratje, Johann Hinrich

Stadae, 1753

urn:nbn:de:gbv:46:1-5526

PANIS EX LAPIDIBVS. 11

DISSERTATIO EPISTOLICA,

QVA

VISITATIO GENERALIS

CIRCVLORVM

WVRSATICI ET BEDERKESANI,

ET

SYNODI,

IN

DIOECESIBVS PALAEOGAEA

ET

BEVERSTETENSI


HABENDAE,

INDICVNTVR

A

IO. HENR. PRATJE,

ECCL. ET SCHOL. PER DVCAT. BREM, ET VERD. SVPERINTEND. GENER.



STADAE, EX OFFICINA ERBRICHIANA.

11

Argumentum.

- §. 1. Diabolus, CHRISTVM tentans, postulat, vt lapides in panem commutet. (Matth. IV. 3. Luc. IV. 3.)
- §. 2. Quamuis DEVS id per potentiam suam facere possit, (Matth. III. 9. illustratur.)
- §. 3. Varioque modo extraordinario de victu quondam hominibus prospexerit;
- §. 4. Lapidet tamen in panem nunquam mutauit. (2. Reg. VI. 25. illustratur.) Nec pro pane illis vnquam vsi sunt homines.
- §. 5. Certa tamen ratione panem DEVS ex lapidibus parasse dici potest.
- §. 6. Id quod vltius ostenditur,
- §. 7. & continuatur. (Luc. XI. 11.)
- §. 8. Monumenta CHAVCORVM diruta & deleta.



A 194 Ω

VIRI SUMME VENERABILES!
PLVRIMVM MVLTVMQVE REVERENDI, DOCTISSIMI!
FAVTORES ET AMICI AETATEM COLENDI!

Cum a Iohanne, praecursore & praecone suo, baptifatus
esset optimus noster Servator, ex mirando infinitae sa-
pientiae consilio in deserta, quae ad finistram Iorda-
nis latus (*), Galilaeam inter & mare mortuum fuisse
creduntur, secedere iussus, & a Spiritu sancto impulsus est. Per
integros quadraginta dies, totidemque noctes, ibi commoratus an-
sam quaerendi, qua ratione omne illud tempus triuerit, sagacio-
ribus sacrarum litterarum interpretibus dedit. SPANHEMIO (**)
iudice tempus hoc sanctioribus meditationibus precibusque dedit.
Nec est, cur de iudicii huius veritate vllum subnasci nobis patia-

A 2

mur

(*) Peculiari dissertatione, quam cum orbe erudito propediem communicaturi
sumus, sententiam hanc ornauit summe Rev. Dn. E. L. RATHLEF.

(**) In dub. evang. Part. III. p. 209.

mur dubium. Quidni enim res diuinas meditatus fuerit, cui summi Dei, Patris sui, voluntas in intimis cordis medullis nunquam non haerebat? Quidni precibus semper intentus fuerit, qui memoriam ingentis illius operis, cuius efficiendi causa humanam naturam induerat, nullo tempore deponebat? Addere tamen licet, quod & diabolicae tentationes, quibuscum conflictandum sibi erat, non exiguam temporis huius partem consumserint. Non mera est, quam scribimus, coniectura. Ipsum Spiritum sanctum consentientem nobis excitare possumus. Matth. IV. 1. Luc. IV. 2. Per omne temporis huius spatium nulla ipsi aderat alimentorum copia. Omni carebat cibo: neque tamen vires corporis sui languescebant; siquidem supernaturali ratione conseruabatur. Exacto vero quadraginta dierum circulo famem, vulgarem longae inediae comitem, humana Christi sentiebat natura: qua, siue coniciendo cognita, siue ex externis nonnullis Seruatoris nostri indiciis animaduersa, ad nouum certamen, cum Christo ineundum, fortiter commouebatur diabolus. Ea enim erant, quae de Christo illi haecenus innotuerant, vt timere inciperet, ne is ipse benedictum illud semen sit, quod ex promissione diuina, in Paradiso (*) facta, caput eius contriturum, eumque omni in homines iure, omnique potestate exuturum sit. Conspiciebantur tamen etiam in Christo, quae cum dignitate & honore filii Dei pugnare videbantur. Anceps itaque metum inter atque spem haerebat, nec, quod sine oppositi formidine statueret, nouerat. Operae vero pretium putabat, id agere, vt, Deine filius, hominumque a Deo excitatus & missus redemptor sit, nec ne, certo cognosceret. Ad Christum itaque accessit & dixit: (***) *Si filius Dei es tu, iube, vt isti lapides (quos vel manibus arreptos Christo obtulit, vel humi iacentes digito monstrauit) panes fiant.* Hoc est: „Quantum video, aut conicio, non leui premeris fame. „ Vereor, ne vitae adeas periculum, si cibo diutius destituaris: neque

(*) Gen. III. 15.

(***) Matth. IV. 3. & Luc. IV. 3.

que tamen est in desertis hisce locis, qui cibum tibi suppeditet. „ Hinc de victu ipse tibi prospicias oportet. Quam facile autem „ prospicere potes, siquidem verus Dei sis filius. Per Deum „ enim, atque ita etiam per verum essentialemque Dei filium, „ omnia fieri possunt. Lapidem etiam in panem commutare Deo licet. „ Age igitur! Fac in panem conuertantur, quos cernis, lapides. „ Ea re famem tuam leuabis, salutisque tue consulens. Quid? „ quod eo ipso etiam & mihi & vniuerso hominum generi verum „ essentialemque Dei filium te demonstraturus sis „ Plura quam- „ uis dentur, quae circa hanc inferni genii orationem notari „ mereantur; pro scopo tamen, nobis fixo, monuisse satis sit, illum „ duas has veritates ponere I. *Fieri per Dei potentiam posse, ut lapides „ in panem conuertantur.* Hoc enim si fieri nullo modo posset, quo- „ modo a Salvatore nostro postulare potuisset, ut hac ratione diui- „ nitatis suae documentum proderet? II. *Neminem, nisi unum & solum „ Deum lapides ἀποκατασκευάζων in panem commutare posse.* Quod enim si „ & alius praeter Deum, quisquis demum fuerit, posset, nulla „ fuisset diaboli a lapidum in panem commutatione, per Christum „ peracta, ad veram summamque illius diuinitatem collectio.

§. II. Lapidem quidni in panem conuerteret, qui eos, dummodo vellet, in homines transformare posset? Hoc enim Iohannes Praetobaptista his verbis affirmat: λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ θεὸς καὶ ἐκ τῶν λίθων θεῶν ἐγεῖραι τέκνα τῶ ἀβραάμ. (*) Sunt quidem, qui haec verba de lapidibus metaphoricis, impiis nimirum & inprimis idololatriis, (**) intelligunt. Ut autem reliqua, quae illis opponi possunt, taceam; particulae καὶ & θεῶν aperte contra illos militant. Nullum praeterea adest indicium, quod propriam & nativam vocis λίθων significationem deferere nos cogat. Sane, si in adstantium turba praesto fuissent idololatrae, qui non fuerunt, magis se metaphorica interpretatio legenti probaret.

A 3

Vt

(*) Matth. III. 9.

(**) Ex illorum numero etiam est Ven. LESSERVS in Lithotheol, edit, 1751, p. 20. 1482.

Vt recte iudicat ad h. loc. b. WOLFIVS. Naturales itaque, proprieque (*) dictos intelligimus lapides: quamuis definire non audeamus, vtrum ad eos, qui ad litus Iordanis, vbi Iohannes degebat & baptizabat, v. 6. iacebant, an vero ad eos, quos in memoriam transitus Israëlitarum erectos fuisse memoriae proditum legimus, respiciendum sit. (**) Illud tamen magis vero videtur simile. Sensus verborum diui Iohannis hic est: „Etiam si vos omnes, quotquot ab Abrahamo descen-
 „distis, periretis; Deus tamen, pro potentia sua, nullis li-
 „mitibus circumscripta, ex duris hisce, quos cernitis, aliisue la-
 „pidibus novos homines formare posset, quos filios suos Abra-
 „hamus nominare dignaretur. „ Non ignoro quidem, quae contra hanc verborum diui Iohannis explicationem monuerit b. PAVLVS FRIEDERICVS OPITIVS, professor quondam theologiae in academia Kiloniensi optime meritus, in disquisitione illa exegetico-theologica, quam celeberrimi NOVAE BIBLIOTHECAE LV-BECENSIS conditores (***) cum orbe erudito communicarunt. Neque tamen, quae monuit, tanti sunt, vt ad hanc explicationem deferendam adduci possim. „Quomodo, inquit, (****) respon-
 „sio Iohannis sufficere potuisset Iudaeis, qui, se veros & genui-
 „nos Abrahami filios esse, ex corpore eius & sanguine procrea-
 „tos, gloriabantur, si, quod res est, fateri mihi liceat, nondum
 „perspicio. Quod si enim vel infiniti ex lapidibus procrearentur
 „liberi, quid facere illud poterat, ad tollendam vel minuendam
 „Iudaeorum, quam de patre suo habebant, fiduciam? „ Id qui-
 „dem libenter concedimus, homines, ex lapidibus formatos, si
 „qui formati fuissent, non vere dici potuisse veros & naturales
 „Abrahami posteros. Dicit tamen potuissent Abrahami liberi pro-
 „pter eandem, qualis Abrahami fuit, fidem. Iohannes non loquitur
 „de naturalibus, sed spiritualibus Abrahami liberis. Non in-
 „frequens haec sacro codici est loquendi ratio. Abrahamus nomi-
 „mi-

(*) Ita etiam statuunt GERHARDVS in Harm. & WOLFIVS in cur. phil., ad h. l. nec non S. recu. HEVMANNVS.

(**) Ios. IV. 3, 5, 8, 9, 20.

(***) Vol. I, p. I. & sequ.

(****) l. c. §. XIV, p. 38.

minatur pater, non Iudaeorum solum, sed aliorum etiam, immo vero omnium, qui Iesum Christum vera fide amplectuntur, vnde cunq̄ue etiam originem suam repetant. (*) Simili modo credentes omnes, nulla habita ortus & gentis ratione, liberi Abrahami & Isaci (**) vocantur. Quid enim? Num putamus, solam numeroſam posterorū multitudinem, vtut pauci, vel nulli eorum, Messiam, a Deo exhibitum, vera fide amplecterentur, Abrahamo gaudio esse? Nonne potius de hominum, vere credentium, multitudine laetaretur? Nonne hos, aliunde licet ortos, prae illis, naturalibus suis posteris, filiorum suorum nomine ornaret? Num vero vana & inanis illa Iudaeorum de patre suo, Abrahamo, fiducia, fortius oppugnari, feliciusque expugnari potuisset, ac si illis affirmaretur, nihil referre, vtrum quis naturali generatione ab Abrahamo descendat? id potius agendum esse, vt eadem, qua Abrahamus olim, Deo placeamus fide. Qui hoc argumento saepius ad sanioſam mentem redire pellicebantur: *Alium nisi indueritis animum, Deus omnibus praerogatiuis, quibus huc usque ornati fuistis, vos exuet, gentesque exteras in locum vestrum sufficiet: (***)* num qua ratione fortius compungi? num de fiduciae suae vanitate felicius convinci? num ad mentem vitamque rite formandam, praestandamque Deo obedientiam, validius commoveri poterant, quam hac: *Tam certum constitutumque est, Deum, si in ea, quam haecenus declarastis, peruicacia & inobedientia perseueretis, vos reiecturum, aliosque vestri loco adoptaturum esse, vt, si nulli hominum etiam reperirentur, qui hac gratia digni essent, Deus, quod per potentiam suam facere posset, nouam hominum progeniem e lapidibus formaturus esset, ne comminationes & promissiones suae irritae redderentur.* Id enim, velim, memineris, horum verborum eandem esse rationem, quae eorum, quae alio loco (****) leguntur: *Εαν εἴποι σιωπήσωσιν, οἱ λίθοι κεκραύξονται.* i. e. antequam omni praecone destituerer, ipsi lapides a Deo ita formarentur, vt laudem meam enarrare possent. GROTII ad haec verba annotatio digna mihi

(*) Rom. IV. II. 16.

(**) Rom IX. 7. Gal. III. 7. 29.

(***) Hof. I. 6. 9. II. 23. Rom. 26.

(****) Luc. XIX. 40.

mihī videtur, quae hic legatur: "Prouerbiale, *inquit*, hoc est
 „loquendi genus, quo significatur, esse ἐκ τῶν ἀδυνατίων, vt non
 „agnoscatur ab aliquibus Christi regnum, cum Deus prius lapi-
 „des in homines mutaturus sit, quam &c., (*) Sic & nostro
 in loco hic emergit sensus: "Priusquam Abrahamus omnibus
 „omnino liberis careat, liberi, i. e. homines ipsius similes, ipsi
 „ex lapidibus gignentur. „ Quae a b. OPITIO ex etymologia
 adduntur, minoris adhuc sunt momenti. "Quodsi, *inquit*, (**)
 „Iohannes id dicere voluisset, quod lapides in liberos essent trans-
 „formandi, adhibuisset potius vocem ποιεῖν, *facere*, κτίζειν, *con-*
 „dere, πλάσσειν, *formare*, quam vocem ἐγείρειν, quae non creatio-
 „nem, aut formationem, sed mortuorum resurrectionem infert plerumque., Com-
 mode addit: *plerumque*. Multa enim occurrunt loca, in quibus aliam
 voci huic notionem tribuere, ipsa nos suadet cogitque necessitas.
 Imprimis vero ortum rei alicuius aut personae, & eum quidem
 inopinatum, mirabilem & gloriosum denotat. Hinc & de filio
 suo, quem per miraculosam & supernaturalem natiuitatem ex Ma-
 ria hominibus praesentem Deus stitit, saepius in sacris litteris adhi-
 betur. (***) Noua, quam b. OPITIVS profert ornatque, expli-
 catio multis, iisque non admodum leuibus difficultatibus premi-
 tur. Summa illius huc redit: (****) Multa Ephraimitarum millia
 „tempore Iephtae ad transitus Iordanis, (מעברות הירדן) quos in-
 „ter etiam Bethabara erat, vbi Iohannes baptismum administra-
 „bat, occisa erant & sub lapidibus sepulta iacebant. Hi veri &
 „genuini erant Abrahami filii, quos in vitam facile reuocare Deus
 „poterat. Atque id sibi voluit Iohannes, quando, Deum pos-
 „se, ait, etiam ex lapidibus istis suscitare liberos Abrahamo., „ E-
 tiam si vero concederemus, eodem in loco, ubi Iohannes tunc
 temporis degebat, complures Ephraimitarum cecidisse, & sub la-
 pidibus, qui ibi conspiciebantur, sepultos iacuisse, cum disputari
 tamen

(*) Vid. Crit. Angl. Tom. III. p. 1447.

(**) Nou. Bibl. Lub. Vol. I. p. 43.

(***) Luc VII. 16. Act. III. 26. XIII. 33. Conf. Brem. v. Verd. Hebopfer, Tom. I.
p. 267. sequ.

(****) I. c. § XVI. p. 42. 43.

tamen adhuc possit, vtrum ingens admodum eorum numerus fuerit, qui Bethabaræ occisi & sepulti fuerint; nullum tamen occurrit indicium, ex quo colligi possit, Iohannem ad hanc Ephraimitarum internecionem, ibi factam, respexisse. Praeterea, vtrum homines ibi sepulti, cum in vitam reuocarentur, ἐκ τῶν λίθων resuscitati dici commode possint, valde dubito, cum non ἐν τοῖς λίθοις, sed ὑπὸ τῆς λίθου sepulti fuerint. Alia ratio est terrae, in qua sepulti quiescimus, & ex qua resuscitati resurgimus, alia vero lapidum, sub quos recondimur & supra quos resurgentes ascendimus: vt taceam, 1. Abrahamo nec alios, nec plures liberos fisti, cum Israëlitæ, tempore Iephtæ ad Iordanis transitus trucidati, in vitam reuocarentur, quam antea habuerit, Iohannem vero de multiplicandis Abrahami liberis agere. 2. eam mortuorum Israëlitarum resuscitationem, quamuis per se Deo fuerit possibilis, propter iustitiam tamen Dei fieri non potuisse. Sic enim Deus illorum animas etiam in hanc vitam reuocare debuisset, quod tamen, siue in inferno, siue in coelo fuerint, Deo indignum videtur. Id itaque sibi vult Iohannes: *Posse Deum ex lapidibus etiam homines formare.* Quamuis vero etiam b. OPITII explicatio horum verborum vulgari expositioni palmam praeriperet, hoc tamen nihilo fecius extra omnem dubitationis aleam positum esset, quod Deus lapides, si vellet, in homines conuertere posset. Qui enim primum hominem ex terra fingere potuit, alios etiam ex lapidibus formare valet. Nec difficilius est, lapidem in hominem, quam hominem in lapidem conuertere, cuius rei exemplum vxor Lothi nobis praebet. (*) Cum vero homines ex lapidibus formare Deus potest, ecquid impediatur, quo minus in panem lapides conuertat? Et quidni conuertere posset, cum infinita, nullisque limitibus circumscripta ipsi competat potentia, qua vniuersum mundi huius, sed quanti! systema ex nihilo produxit? Teste scriptura sacra οὐδὲν ἀδύνατον, πάντα δὲ δύναται. (**) Ipso dicente est, quicquid est: ipso praecipiente existit. (***) Vocat ea, quae non sunt, vt sint. (****)

B

§. 3.

(*) Conf. LESSERI lithotheol. p. m. 1408. STACKHOVSE Vertheidig. der bibl. Gesch. Vol. II, p. 160. & 228. sq.

(**) Luc. I. 37. XVIII, 27. (***) Ps. XXXIII, 9. (****) Rom. IV, 17.

§. 3. Certa quaedam subsidia numen sapientissimum hominibus nutriendis & alendis ordinavit. Nonnullos tamen homines sine illis per aliquod tempus saluos & incolumes a Deo conseruatos esse nouimus. Moses, dux populi Israëlitici, mirabilem hanc & extraordinariam conseruationem duabas vicibus expertus est. Exod. XXIV. 18. XXXIV. 28. Expertus eandem etiam est Elias. I. Reg. XIX. 8. Praeterea alma & prouida Dei optimi maximi cura varia alia ratione victum hominibus praeter consuetum naturae ordinem nonnunquam suppeditauit. Scilicet *cum exigua tantum alimentorum copia aliquando suppeteret, virtute sua effectit, ne exigua haec copia statim consumeretur, vt ita, cum LVCILIVS apud NONIVM cecinerit:*

Magna penus paruo spatio consumpta peribit;

hic contra parua penus per spatium iusto longius suffecerit. Quam exigua viduae illi Sareptanae erat farinae oleique copia? Deo tamen iuuante non ipsa solum cum vniuersa sua familia, sed Elias etiam per integrum, qui in summo annonae caritate erat, annum ex illa alebantur. I. Reg. XVII. 14. 16. Nihil viduae illi, tempore Elifaei, restabat, nisi amphora, oleo seruando destinata. Impar itaque erat debitis suis soluendis, creditor tamen solutionem vrgebat & extrema quaeuis minabatur. Deo vero volente & iubente tantam amphora haec emittebat olei copiam, vt tot vasa, quot ad id excipiendum opus erat, conquiri non possent. 2. Reg. IV. 2-7. Et quem nostrum latet, optimum nostrum Seruatorem exigua panis & piscium penum duabas vicibus ita auxisse, vt altera 4000, altera 5000 hominum multitudo, vxoribus & liberis ne quidem numeratis, ea saturarentur? *Nonnunquam Deus adiumenta illa, quibus homines aluntur, modo mirabili & insolito praebuit.* Populo suo, ex Aegypto educto, per 40 annos panem, Manna dictum, de coelo demisit. Exod. XVI. 35. Cum coelestis huius panis taedium hominum animos cepisset, aues, Selauim dictas, (*) per ventum, a maris plaga ruentem, tanta copia, quanta satis erat,

(*) De his sententiam suam multa cum eruditione, nec minori iudicio, exposuit, quem honoris causa nominamus, Ven. RATHLEFIVS in *Acridothcol*, Part. I, p. 210. & Part. II, p. 305. sq. vindicauit.

erat, adduxit. Exod. XVI. 13. Num. XI. 31. 32. Ne siti populus confumeretur, rupes duabus vicibus diffidit, aquamque ex ea propullulare iussit Deus. Exod. XVII. 6. Num. XX. 10. 11. Pari ratione Simsoni quoque, ardentius sitienti, fontem aperuit, (*) ex quo aquam haurire, sitimque suam restinguere posset. Iudic. XV. 19. Eliae, sin minus corui, (**) 1, Reg. XVII. 19. angeli tamen 1. Reg. XI. 6. victum aliquando adtulerunt. Ita etiam, cum, viuo Elisaeo, periculum aliquando esset, ne tres reges cum exercitibus & pecoribus suis ob aquae penuriam perirent, riuum quendam, hactenus siccum, nullo vento, nullaque pluuia intercedente, aqua subito sic repleuit, vt sitim suam leuare possent. *Nonnunquam etiam subsidia, hominibus nutriendis & alendis minus idonea & salubria ita correxit & emendauit, vt per ea nutrir & ali potuerint.* Aquam, cuius amaritudo Israëlitis, ex Aegypto egressis, ita fastidio esset, vt non Mosen tantum & Aaronem conuitiis proscinderent, sed in ipsum

B 2

&

(*) Et aperuit quidem, vt Iudic. XV. 19. memoriae proditum legimus **מכתש אשר בלחי** quae verba ita quidem vulgo explicantur, vt **לחי** maxillam asini, **מכתש** vero cavitatem maxillae, ex qua dens quidam molaris exciderit, denotet. Vtut vero haec explicatio virorum grauissimorum, ex quibus LV-THERVM & BOCHARTVM nominasse satis sit, patrocinio gaudeat, nec quicquam affirmet, quod vel per Deum fieri non possit, vel Deo etiam minus dignum sit; nos tamen non possumus, quin eorum subscribamus sententiae, qui, **לחי** pro nomine regionis, vt versu 9. habentes, **מכתש** de famosiori regionis huius loco, qui vel iam ante haec tempora propter formam, mortario similem, vel ab his temporibus propter aperturam & cavitatem, ex qua aquam profilire Deus iusserit, hoc nomine insignitus fuerit, exponunt. Post JAC. VSSERIVM, FR. IVNIVM, IO. DRVSIVM, IO. CLERICVM & SEB. SCHMIDIVM sententiam hanc maxime ornarunt IO. MARCKIVS in Exercit. script. XII §. IV. p. 713. IAC. DEYLINGIVS in Obseru. sac. Part. I. Obs. XXI. p. 113. & IOACH. LANGIVS in bibl. hist. Licht vnd Recht Part. I. p. 184. Longum foret, causas h. l. exponere, quibus, vt ita sentiam, commouear. Hoc tantum ad cauendam inuidiam addere consultum duco, hac explicatione nec negari, nec minui Dei miraculum.

(**) Vocem **עורים** non coruos, sed oppidi vel vici alicuius incolas denotare, cum. HERM. v. d. HARDT. celebris quondam acad. Iuliae doctor, cui b. LOESCHERVS in Vnsch. Nachr. 1706. p. 272. & b. GEBHARDI in diss. de Orebbim Eliae natoribus. 1707. se opposuerunt; tum vero etiam Summe Reu, HEVMANNVS in Sylloge sua, p. 896. affirmarunt.

etiam Deum iniurii essent, dulcem reddidit & suauem, salubremque. Exod. XV. 25. Fontem Hierichunticum, cuius aqua sterilitatem, immo ipsam mortem afferebat, salubrem, sale iniecto, praestitit. 2. Reg. II. 19 - 22. Simili ratione cibum filiorum prophetarum, qui ex fungis mortiferis intermixtis mortem minabatur, ita emendauit, vt remoto omni periculo & metu eo vesci possent. 2. Reg. IV. 39. 40.

§. IV. Lapidés sunt mineralia densa, ex sale sulphure & terra conflata, & virtute salis lentique cuiusdam succus, mediante calore, ita conglomerata & densata, vt nec malleo mulceri, nec igne liquefieri, nec aqua solui possint. Debemus hanc definitionem summe reu. LESSERO in Lithothcol. Lib. I. Sect. I. Cap. I. qui capitibus, quae proxime sequuntur, singula definitionis huius membra vltcrius exponit & demonstrat. Patet autem cum ex hac definitione, tum vero ex ipsa etiam experientia, lapides ad ordinarium hominum victum et nutrimentum a Deo destinatorum non esse: siquidem nullo modo subigi, & pro cibo parari, & quamuis in minutissimas partes comminuantur & contundantur, tamen nec a stomacho digeri, nec in succum & sanguinem conuerti possint. (*) Vrgente extrema necessitate, quae alias edi nec solent, nec possunt, comesta nonnunquam esse memoriae proditum legimus. Cum Benhadat, Syriae Rex, Samariam cum exercitu suo obsideret, tanta, succedente tempore, exoriebatur omnium rerum, quae comedi solent, penuria, vt vnicum asini caput LXXX ficulis venderetur.

2. Reg. VI. 25. ורבע הקב חרייונים בחמשה כסף

Quae verba qua ratione ab Immanuele Tremellio & Francisco Iunio ita verti potuerint: *Et quarta pars (sc. columbae) venter ipse, qui est in cauo columbarum, quinum siclorum argenti; ego sane non video. In eo rei vertitur cardo, vt dispiciamus, quid per חרייונים intelligendum sit. Composita haec vox creditur ex יונים columbae & חרי excrementa. Ies. XXXVI. 12. Hac ratione Lutherus red-*

(*) In medicina tamen lapidum nonnullorum vsus non omnino nullus est, vid. LESSERI Lithothcol. p. m. 1081.

reddidit *Taubenmist*. Vnd ein Viertheil Kab Taubenmist galt fünf Silberlinge. Consentunt Masorethae, qui pro more suo, quo vocibus, in communi & profano vsu minus verecundis, alias honestiores, hominumque aures minus offendentes, in margine substituere solebant, hoc loco pro חרייונים legendam dederunt vocem רביונים, quae, ex יונים columbae & רב fluxus composita, fluxum columbarum denotat. (*) Nec desunt, qui Samaritanos, annonae charitate & fame ingrauescentibus, huiusmodi columbarum sterces pro cibo adhibuisse contendunt. BOCHARTVS, qui voci חרייונים explicandae totum caput septimum libri secundi, partis secundae Hierozoici sui dedit, EPTYCHIVM, Alexandrinum Patriarcham, ita sentientem in scenam producit. Vti nimirum Rabsace, Ierusalem obsidens, inani arrogancia & iactantia facturum se minabatur, *ut sterces suam incolae ederent, lotiumque suum biberent;* (**) sic Samaritanos sterces columbarum comedisse sibi persuadent. Verum enim vero ea huic sententiae obiecit eruditissimus BOCHARTVS l. c. p. 38. 39. quae diutius eam affirmare non sinunt. Ipse vero BOCHARTVS rationibus non contemnendis demonstrat, vocem חרייונים *cicer, vel ciceris quandam speciem* denotare. Potiora ipsius argumenta haec sunt: 1. Ipsa orationis series aperte satis indicat, per hanc vocem cibi aliquod genus significari. 2. Cicer in Palaestina erat nobilissimum. 3. Cubus tam leguminum, quam frugum mensura erat. 4. Arabes vile cicerum genus *sterces columbarum* vocare soliti erant. Ex hac itaque sententia Samaritani ederunt quidem, quae edi poterant & solebant, ea vero immuni pretio comparare cogebantur. Quae statim sequuntur, (2. Reg. VI. 26-29.) propius ad rem nostram pertinent. Ex duabus matribus altera, ex pacto, filium suum mactauerat, & cum altera comederat, quae tamen, postero die, suum quoque filium iugulare & pro cibo apponere renuebat, adeoque conquerendi apud regem causam suppeditabat. En! cibum insolitum! cibum minus gratum! cibum homini detestandum! Nihilo tamen secius

B 3

hu-

(*) Conf. STOCKII lexic. hebr. p. m. 394.

(**) 2. Reg. XVIII, 27. Ies, XXXVI. 12.

humana carne vesci homines saepius docuit fames. Sic SENECA, (*) Cambyfis milites, deficiente alio victu omni, decimum quemque fortitos, alimentum habuisse, fame saevius, refert. Stipendiarii Carthagenensium, teste SABELLICO, (**) fame in extremum periculum deducti, captiuorum primum, mox & feruorum corpora crudeliter absumerunt. Romani, qui Placentiae erant, referente SIGONIO, (***) inopia rei frumentariae usque adeo fame laborare coeperunt, vt humanas carnes esui adhiberent. Iudaeos in vltima Hierosolymarum obsessione, cum ad extrema omnia redacta essent, eam quoque comedisse, auctor est IOSEPHVS (****) testis, omni fide dignus. Hoc modo ea implebantur, quae populo suo minatus erat iustissimus Deus, idem vero & veracissimus, Deut. XXVIII. 53. Hominum & ipsorum liberorum suorum carne vescentes, quid mirum, quod & alia multa, quae inter alimenta hominum alias non numerantur, quod & foenum & corium pro cibo, eodem IOSEPHO teste, sibi parauerint. Post victoriam Plataensem Athenienses, Xantippo duce, Sestum in Chersoneso oppugnarunt. Tam diu vero haec obsidio duravit, vt, qui obsidione cincti erant & tenebantur, lectorum funibus elixis vesci, SABELLICO (+) docente, cogentur. Vt multa vero docuerit fames, tamen, quod lapidibus etiam vesci docuerit, nusquam legere memini. Nec vtrum re ipsa lapides in panem physice vnquam commutauerit Deus, affirmare auiam. Dantur, qui factum contendunt. Sed hi illi fere erunt, quorum sublesta fides est. Nostris temporibus de farina, prope Auerstadium ex terra propullulante, contra rei veritatem multa dicta, relata, scripta nouimus. (++) Antiquiorum temporum monumenta farinam panemque ex montibus & rupibus, Deo per

(*) Lib. III. de ira. Cap. XX.

(**) Lib. IX. Ennead. 4.

(***) Lib. XIX. ann. 1546.

(****) de bello Iudaico. Lib. VI. Cap. XXI.

(+) Lib. II. Ennead. 3.

(++) Vid. Sendschreiben von dem bey Auerstaedt aus der Erde hervorkommenden vermeeynten Mehle samt einigen Anmerkungen. 1. B. in 4. item Hamburg, Magazin. Tom. V. p. 173.

per miraculum rem ita dirigente, vt annonae caritatem leuaret, famique succurreret, saepius prolata loquuntur. Sed quemadmodum antiquiorum temporum ea erat ratio, vt impostura multum valeret, superstitio vero quacuis crederet; ita & monumenta illa, quae diximus, sic comparata sunt, vt fidem mereri dici nequeant. Facile itaque affirmamus, nec homines lapidibus pro cibo vnquam vsos, eoque cibi insoliti & infueti genere, Deo iuante, ad tempus conseruatos esse, nec Deum, quod facere itamen per potentiam suam potuisset, lapides in panem vnquam transmutasse.

§. V. Nihil tamen fecius panem ex lapidibus certo modo parasse dici potest: non, quasi lapides fuerint materia ex qua, sed quia adiumentum fuerunt, per quod cibum, eumque paratu difficilem, suppeditauit. Varia ut enumeremus lapidum genera, superuacaneum merito videtur. (*) Ad saxa arenosa, quae in agrorum superficie iacent, vel parte sui quadam ex terra eminent, vel saltim haut ita profunde sub terra latent, & quae nostra lingua *Feldsteine* aut *Sandsteine* appellamus, tantum respicere iuuat. Varia eorum magnitudo est. Per varios gradus a minima ad maximam molem, quae complura millia pondo excedit, ascendunt. Varios horum saxorum vsus est. Ex illis enim splendidissima palatia, templa, altaria, baptisteria, mausolea & monumenta conduntur, latissimi altissimique muri exstruuntur, staturae & columnae pulcherrimae sculpuntur, lapides molares, quorum ope frumentum confringitur & in minutissimas partes redigitur, parantur, vt varia alia vasa & instrumenta, quae hominum ingenium ex illis fabricari didicit, taceam. Nec vltimus horum lapidum vsus is est, quo ruentibus exagitati maris fluctibus aggerum & murorum, quibus prouinciae a diluio & exitio defendi possint, loco obiciuntur. Hunc modum naturam creatricem, vel Deum potius, omnium rerum conditorem, obseruasse
ani-

(*) Ad summe reu, LESSERI lithotheologiam eos remittimus, quorum interest; varia lapidum genera cognoscere,

animaduertimus, quod terras, mari adiacentes, continuo montium aut rupium iugo praecinxerit, ad impetus oceani domandos, fluctusque coercendos. Quod cum perpenderent homines, variaque experientia edocti essent, tractus illos terrarum, quos mari subduxerant, aggeribus, ex terra congestis, minus tutos praestari, id consilii ceperunt, ut aggeres ex ingentis molis lapidibus constiparent, marique infido opponerent. Quamuis vero etiam huiusmodi aggeres lapidei hominum spem nonnumquam frustrati sint, & Deo ita iubente, frustrari debuerint, ut eo melius discant, securitatem & salutem non e lapidibus & aggeribus, sed a solo & vno Deo, qui rupes etiam & saxa nullo negotio diffindere, viamque sibi, impiorum scelera vindicaturus, per ea aperire potest, expectandam esse; tamen negari nequit, non exiguam horum aggerum lapideorum, quos grauitas & moles difficulter loco cedere sinit, esse firmitatem & fidem, multumque in illis reperiri praesidii. Batauorum inprimis gens, quae est illius sollertia, & negotiorum publicorum, publicaeque salutis cura, nullis, utut maximis, sumptibus pepercit, ut terram suam aggeribus lapideis cingeret, eoque ipso caueret, ne crebrioribus aquarum illuuiis vexaretur. Cum vero patri illorum tellus lapidibus & saxis, ad hanc rem idoneis, destituatur, ex variis, longe etiam diffitis, regionibus ea conquisiuerunt, nauibusque attulerunt Bataui. Maximam quidem eorum copiam ex Noruegia, rupibus ditissima, magnam vero etiam ex his regionibus sibi compararunt. Atqui tantus est, qui hominibus nostris, ex illis rediit, quaestus, tantum lucrum, ut iure quidem affirmare possimus, Deum compluribus illorum panem ex his saxis arenosis, quae inutilia forte terrae pondera a maioribus nostris habita sunt, produxisse & parasse, his inprimis annis duodecim, proxime praeterlapsis, quibus partim intentissimum, quod anno 1740 experti sumus, frigus, partim etiam contagiosa iumentorum lues, quae ex octo, & quod excurrit, annis triste stabulis pratisque & pascuis fuit malum, magnam plurimis rebus, quae ad victum pertinent, caritatem intulerunt. Quid? si maioribus nostris dictum olim fuisset: „E saxis his arenosis, quae aratro fac-

,, pius

„pius impedimento & agricolae offensionem sunt, posteri vestri
 „victum aliquando sibi quaesituri sunt. Prouida Dei cura has
 „terras illis donauit, vt incolae illarum aliquando habeant, quod
 „ingenti suo cum quaestu exteris vendant; „ nonne surdo fabu-
 lam narratam fuisse putes? Nihilo tamen fecius factum illud esse
 comperimus.

§. VI. Ea hominum, proh dolor! est focordia, ea prauitas,
 vt beneficiorum diuinorum magnitudinem, ea, qua par est, ratio-
 ne raro perpendant. Leuia putantur Dei beneficia, quia leuia viden-
 tur, quorum subsidio illa nobis conferuntur. Exilitas vero, si quaest,
 copia compensatur. Quam exiguus illorum est numerus, qui iustam
 beneficiorum diuinorum computationem, iustam aestimationem,
 iustum iudicium sibi conciliare student? Beneficia Dei accipimus:
 beneficiis Dei fruimur; neque tamen seruo vnquam reputamus,
 quantos thesauros Deus in nos effundat, quantisque nos largia-
 tur & ornet diuitiis. Exemplis age rem declarem. Infiniti fere
 pretii esse prouinciarum nonnullarum sub terra latentes diuitias,
 ecquis est, qui ignoret? Vt pretiosos lapides, qui hinc inde repe-
 riuntur, & gemmas, adamantes, rubinos, granatos, hyacinthos,
 sapphiros, amethystos, smaragdos, chrysolithos, aliosque mit-
 tam, praeter reliqua metalla, aurum in primis, argentumque tan-
 ta nonnullis locis suppetit copia, vt, quae referuntur, fidem non-
 nunquam fere superare videantur. Aurum, argentumque, quan-
 tum adhuc quidem compertum est, nostris prouinciis propitium,
 vt cum TACITO (*) loquar, an iratum dicam? numen negauit.
 Interim tamen & nostrae nobis sunt diuitiae. Erica nostra, quae
 vulgo *Heide*, terra cremialis, quae *Torff*, & lapides arenosi, ma-
 ioris aliquantum molis, qui *Feld- vnd Sandsteine* dicuntur, inter na-
 tiuas prouinciarum nostrarum diuitias merito reputantur. Ampla
 nobis sunt, & quae per aliquot milliaria se extendunt, ericeta. (**)

C

Flocci

(*) Vid. TACITI German, Cap. V. §. 4. p. m. 631.

(**) Maximum omnium est, quod *Dürvelsmohr* vulgo nominatur: quod nomi-
 nis tamen non a diabolo, sed a nobili quadam familia, de *Dürvel* dicta, cu-
 ius, nunc quidem non amplius supersit, & b. MVSHARDVS in *monument. nobil.*
equestr. p. 286. & pl. reu. IO. VOGT in *monument. inedit.* Tom. I. p. 585.
 & 589, mentionem fecerunt, repetendum iure putatur. Exiactum hoc a fluuio

Flocci plerumque pendetur erica, & parum abest, quin omnem ericam igne penitus delendam, & ipsa ericeta in campos, agros, arua, prata & pascua commutanda esse, multi statuant. Itane vero, etiamsi hoc fieri posset, publicae utilitati melius consultum iri putas? Numquid frustra tantis ericetis has provincias abundare tibi persuades? ipsamque ericam vel nullius, vel admodum exiguae utilitatis esse arbitraris? Ex incolis, maxime vero ex agricolis nostris quaeras velim, & miraberis. Ouibus sane & apibus, minora enim, quamuis infinita fere, commoda tacebo, gratum, salubrem, pinguemque ericeta praebent cibum. Quot? quantique ouium greges per aestatem ex erica aluntur? Quot? quantaque apum examina victum in ericetis sibi quaerunt. Thymum ficulum optimum & convenientissimum apum pabulum esse, & propterea mel ficulum omni alii mellis palmam praeripere, autor est VARRO, (*) rei rusticae scriptor, nemini ex antiquioribus secundus. Ericam nostram, cuius forma cum thymo aliquam similitudinem habet, thymum nostrum siluestre non iniuria dixeris. Mel ericaeum PLINIO (**) iam laudatur. Multo sane praestantius eo est, quod ex panici (vulgo *Buchweizen*) floribus apes conficiunt. Quantus vero ex ouibus, agnisque, eorumque lana incolis nostris redit quaestus? Quantam pecuniam ex melle & cera, si fertiles & industriae fuerint apes, quotannis faciunt? VARRO (***) non solum, fuisse suis temporibus, narrat, qui aluearia sua quotannis quinque millibus pondo mellis locata habuerit, sed refert etiam, duos milites se habuisse in Hispania, fratres Vejanos, ex agro Falisco locupletes, qui, cum a patre parua tantum relicta esset villa, & agellus, non sane maior iugero vno, circum villam totam aluearium fecerint & hortum habuerint, ac reliquum thymo & cytiso, & apiastro obseuerint & nunquam minus, quam dena millia sestertia, ex melle recipere soliti fuerint.

Sunt

Wümme dicto, qua *Ottersbergam* & *Fischerhudam* alluit, & in fluium, *Lesmannam*, se effundit, *Bremervörderam* vsque se extendit, quamuis diuersis nominibus hic illic insigniatur.

(*) VARRO de re rustica. Edit. Hal. 1730. p. 342.

(**) Hist. nat. Lib. XI. cap. XVI.

(***) l. cit. p. m. 340.

Sunt, vt haut ita pridem affirmatum mihi est, etiam inter melitturgos nostros, quorum singuli, si curae, labori & victo ipsorum euentus responderit, singulis annis vel 500, immo vero plures etiam thaleros ex melle & cera, apum suarum labore, acquirere possunt. Sub ericetis terra, quae arefacta cremari potest, & *Torf* vocatur, plerumque deprehenditur. Et haec terra agricolis circum habitantibus gazophylacii instar habetur. Ex hac enim, si caeli clementia permiserit, non ea tantum, quae magistratui debentur, verum ea quoque, quae ad victum & amictum pertinent, maximam saltem partem, redimi & comparari possant. His diuitiis lapides arenosos maiores etiam annumerare licet. Vt vero luce meridiana clarius appareat, hoc, non sine causa a me dici, rationem aliquam, age! ineamus, & pecuniam, quae hominibus nostris ex illis rediit, computemus. Duodecim circiter sunt anni, & quod excurrit, ex quo haec lapidum mercatura frequentata est. Nulli naui, lapidibus repletae, ex portibus nostris soluere licuit, nisi litteris publicis, quibus facultas exeundi concedebatur, ornatus fuerit illius gubernator. Cum tabulae & instrumentorum publicorum exempla, monumentaque rerum gestarum actorumque a quouis senatu, maxime tamen ab eo, qui in his prouinciis primus est, sollicito asseruantur, fieri quidem potuisset, vt omnium nauium, quibus lapides commissi fuerunt, nisi forte contra fidem suam abire sine litteris publicis quasdam siuerint, quibus portorium exigendi cura demandata est, numerum exactum rescuerim; verum enim vero, ne nimium laboris & molestiae amicis meis imponerem, id tantum ab illis petii, vt priorum quatuor annorum indicem mecum communicarent. Ex publicis itaque documentis naues, lapidibus oneratae, publicisque litteris impertitae, ex portibus nostris soluerunt

anno 1740.	- -	naues	374.
- 1741.	- -	-	255.
- 1742.	- -	-	175.
- 1743.	- -	-	276.

Quarum nauium omnium numerus - 1080.

Sumimus hic, quod fumere facile licet, lapidum mercaturam reliquis octo annis eadem ratione institutam actamque fuisse. Sic, numerum superiorem ter multiplicando, naues habebimus 3240. Non omnes quidem naues eiusdem fuerunt amplitudinis & magnitudinis. Aliae maioribus, aliae minoribus oneribus ferendis pares fuerunt. Quae ad *Visurgim*, *Geeftam* & *Oftam* appulsaе sunt, multum eas magnitudine superarunt, quae ad ostium fluvii *Lübe* accesserunt. Generatim tamen aliquo modo computari potest, quot lapidum pondo hae prouinciae cum exteris communicarint & quis quaestus ad nostros homines inde redundauerit. Portus ille ad ostium fluvii *Lübe*, in Albim se exonerantis, primae secundaeque magnitudinis naues non admittit. Sed esto, non maiores fuisse naues, quae alios locos, ad lapides recipiendos, adierunt. Nauium, e portu Lühenfi egressarum, magnitudinem & onera hic, cuius copia nobis facta est, index loquitur.

Anno 1741 soluerunt	16. naues,	oneratae	465 Lastis (*)
- 1742	- 60.	- - - -	1089 -
- 1743	- 102.	- - - -	3376 -
- 1744	- 36.	- - - -	1089 -

Summa nauium - 214. Lastarum 6019

Iam, si nauibus 214 impositae fuerunt lapidum lastae 6019, non difficilis admodum est quaestio, quot *Lastae* omnibus 3240 nauibus commissae fuerint. Nimirum circiter 91900 *Lastae*, siquidem vnicuique naui 28½ assignari possunt. (**) *Lasta* complectitur 4000 pondo. Ad exteros itaque 367600000 pondo, vel libras lapidum emifimus. *Lasta* vna, seu quater mille pondo lapidum venerunt sex marcis, (*Marklübisch*) quarum quaeuis 16 assibus (*Schillinge*) constat. Ex 919000 *Lastis* lapidum itaque redierunt nostris hominibus 551400 marcae, seu 183800 thaleri. Qui minoribus nauigiis lapides e continenti ad maiores naues onerarias aduexerunt, pro quauis *Lasta* acceperunt quatuordecim asses. Ex 91900 *Lastis* enascuntur

(*) Cum alia vox non reperiatur, quae voci *Last* eo sensu, quo nautae & mercatores ea vtuntur, accurate respondeat, liceat nobis, huic voci Latii ius ad tempus conferre.

(**) Numerorum, qui fracti dicuntur, non admodum magnam in hac computatione habuimus rationem.

tur 80413 marcae, quas si superioribus 551400 marcis iunxeris, habebis 631813 marcas, seu 210604 thaleros. Praeterea ad ostium fluuii *Lübe* quaeuis nauis pro statione sua (vulgo dicitur *Wallgeld*) pendere debet marcam vnam. Quod si & in coeteris locis fieri, quod putamus, debuit, superioribus 631813 marcis addendae erunt aliae 3240, & habebimus 635053 marcas, seu 211684 thaleros. Vectigal denique, seu portorium, quod regi soluendum fuit, sunt sex asses pro quauis lapidum *Lasta*. Hinc oritur ex 91900 *Lastis* summa 34462 marcarum, quas si superioribus 635053 addideris, habebimus 669515 marcas, seu 223171 thaleros.

§. VII. Vix olim, credo, putaueris, fore vnquam, vt ex his faxis arenosis, quorum complura puluere bellico diffindi propter magnitudinem debuerunt, tantus comparetur quaestus. Comparatus tamen, eoque pluris aestimandus est, quo exilior eorum labor, qui illius participes facti sunt. Hic nulla opus erat cultura. Hic a tempestate, quae agricularum laborem atque spem saepius frustratur, nulla timenda erat iniuria. Hic nulli sumtus impendendi erant. Hic nullus apparatus pretiosior, qui in metallorum fodinis fructus saepe deuorat, requirebatur. Hic nullum periculum cautioribus imminebat. Curribus tantum imponendi & ad loca constituta deducendi erant lapides, & numerata statim accipienda pecunia. Nonne vero prouida summi numinis cura hunc ciuibus nostris quaestum parauit? Nonne eum in finem parauit, vt temporibus hisce, satis calamitosis & iniquis, haberent, vnde se suosque alerent? Vereor omnino, absque hac lapidum mercatura si fuisset, ne plures familiae ad incitas fuissent redactae, maxime, ex quo contagiosa iumentorum lues ultra centena millia absumsit. In hos vsus ingentia illa saxa, quae inutilia fortasse terrae pondera multis antea visa sunt, reseruata videmus. Et hac ratione ex lapidibus panem Deus hominibus nostris parauit. Notatu digna semper visa mihi sunt optimi nostri Seruatoris verba: (*) *τίνα δὲ ὑμῶν, τὸν πατέρα αἰτήσῃ ὁ υἱὸς ἄρτον;*

C 3

μη

(*) Luc. XI. v. II.

μη λίθον ἐπιδάσει αἰψῶ; Id nimirum tunc temporis agebat, ut ad continuum precum exercitium discipulos suos excitaret, addito argumento, a beneuolo Dei amore & propensissimo ipsius ad preces nostras audiendas animo defuncto. Sistit illis itaque patrem φιλόσοργον, cuius animus erga liberos suos comparatus est ita, ut preces eorum, simulac funduntur, ratas habeat, eisque conuenientem & necessarium victum, quem petunt, non solum non deneget, tantum absit, ut loco ipsius, quae noxia & mala sint, immittat, ut libenter potius subministret. Sunt, (*) qui haec Sospitatoris nostri verba cum verbis PLAVTI (**) conferre iubent:

Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.

Minus vero, si quid iudico, recte conferuntur, si a vocibus *lapis* & *panis*, quae utrobique occurrunt, discesseris. PLAVTVS enim nec de benigno, nec de duro patre, sed de homine blandiente & fictis suis blandimentis fallente & opprimente loquitur. Ut canes nonnunquam, pane ostentato, pellicere, pellectos vero lapide impetere solemus; ita etiam dantur, qui aures nostras bonis verbis amplissimisque promissionibus mulcent, ut eo tutius & facilius fallere & nocere possint. Duri animi pater sit oportet, qui aures a precibus liberorum auertat, filioque, panem petenti, lapidem obiciat. Deus tamen, quamuis benignitate & amore patres, qui inter homines dantur, omnes longissime superet, hominibus nostris, panem flagitantibus, lapides subministravit, non, ut illis illudat, nec ut eos terreat, nec ut dolori dolorem addat, sed ut habeant, quod exteris vendant, & ex cuius redditibus se suosque sustentare possint. O patrem benignissimum, etiam cum lapidem fert manibus!

§. VIII. Vnum est, quamuis lapidum haec mercatura admodum utilis nostris fuerit hominibus, quod dolemus. Maiores nostros ex illorum hominum, qui diis commenticiis sacra fecerunt, grege

(*) E gr. FR. CHR. NEVBOVR in Biblioth. Brem. Class. I. Fasc. II. p. 245. & b. WOLFIVS in cur. phil. ad h. l.

(**) Aulular. Act. II. Scen. II, Et NEVBOVR & WOLFIVS, illi fidens, citant, sed perperam, Act. I.

grege fuisse, inter omnes constat. Chauci in primis, (*) iique minores, has terras incoluerunt, quorum monumenta lapidea complura ad nostra vsque tempora conseruata erant. Ea nimirum veterum populorum, qui septem triones versus habitabant, erat consuetudo, vt locum, urnis sepulchralibus seruandis destinatum, lapidibus maiusculis cingerent, terraque, in formam collis leniter ascendentis congesta, operirent. Imagines eiusmodi collium sepulchralium oculis nostris subiecit b. ARNKIEL, (***) antiquitatum Germanicarum, maxime vero Cimbricarum, scrutator sollertissimus, nec infelix. Praeterea etiam altaria struere soliti erant, in quibus, vt alia occasione, ita & pro demortuis suis sacrificia diis offerebant, vt terra illis esset leuis. Horum altarium structura comparata, vt plurimum, erat ita: Duos, tres vel quatuor lapides tantae molis, vt multis hodie machinis, ad eos mouendos, opus foret, fundamenti & baseos loco sternebant, quibus alium, aequae magnum, ita imponebant, vt maxima ipsius planities superiorem superficiem constitueret. (***) Ipsum tamen altare cum spatio satis amplo, altare circumdante, in quo sacra commode & sine impedimento facere possent sacerdotes, aliis lapidibus, quoad maximam sui partem sub terram abditis, sepire solebant. Eiusmodi monumentorum non exigua copia in his regionibus suppetebat. Circa *Nottensdorf* & *Iffendorf*, vicos, haud procul *Horneburgo* sitos, nec non in parochia & dioecesi *Beuerstedtana*, vt & in praefectura *Bederkesana* complura reperiebantur. In praefectura in primis *Bederkesana* celebratur locus, *Bültzenbedde* dictus, cuius imaginem *DILICHIVS* (****) cum lectoribus suis communicauit, accuratiorem tamen ab amico quodam, quae ipsius beneuolentia est, nobis promissam propediem expectamus. Monumentum quoddam apud *Osterholtz* describit *MVS-*
HAR-

(*) Vid. *LAPPENBERGS Grundr. einer Brem. Geschichte. Tom. II, des Brem. u. Verd. Hepopf. p. 205. sequ.* & *I. H. STEFFENS Geschichte der alten Bewohner von Teutschland. p. 85 sequ.*

(**) *Cimbrische Heiden-Religion. III. Theil. p. 217. & 224.*

(***) Vid. *ARNKIEL loc. cit. Part. I. p. 170. III. p. 242.*

(****) *Chron. Brem. Tab. IX.*

HARDVS in dissertatione de *Ostera Saxonum* p. 10. Exstat etiam M. I. C. SCHVLENBVRGII, Rectoris quondam Bremensis eruditissimi optimeque meriti, dissertatio, quae tumulum cum urnis aliquot, in ducatu Bremensi inuentis, exhibet. Huius generis monumenta veterum Chaucorum, si non omnia, tantum tamen non omnia nostris temporibus diruta & deleta sunt. Subtracta itaque nostris etiam sunt oculis eminentiora & aperta illa signa, quae maiorum nostrorum religionem loquebantur, ad gratias summe benignissimo Deo pro luce euangelii, nobis collata, agendas nos commouebant, nobisque quasi occinebant: *Μνημονεύετε ὅτι ἔθνη (ἐν τοῖς παλάσις ὑμῶν) ἦτε πρὸς τὰ εἰδῶλα τὰ ἄφρα ως αὐ ἠγεσθε, ἀπαργόμενοι. I. Cor. XII. 2.*

* * *

Sed ad id accedo, cuius causa hae VOBIS, VIRI SVMME VENERABILES, PLVRIMVM, MVLTVMQVE REVERENDI! scribendae erant litterae. Indicendus nimirum labor publicus est, hac aestate, si vitam viresque summus omnium rerum moderator beneuole concefferit, perficiendus. Visitationis generalis ordo circulos *WVRSATICVM* & *BEDERKESANVM* tanget. Initium illius d. XIII. IVLII in parochia *RINGSTETENSI*, finis d. III. Aug. in parochia *BEDERKESE* esto. Praeterea synodi & in dioecesi *PALAEOGAEA* & in dioecesi *BEVERSTETENSI* habebuntur: & in illa quidem d. XIV. AVGVST. vbi ad loc. XIX. & XX. Comp. Hutteni de *Sacramentis in genere & de Baptismo* disputabitur, in hac autem d. XXI. eiusd. mensis, vbi ad Loc. XXI. de *coena domini* agetur. Faxit DEVS OPTIMVS MAXIMVS, vt in nominis sui gloriam omnia cedant feliciter! Valet. Scrib. d. XI. Cal. Iun. MDCCLIII.

